



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 6. De proprietatibus spei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

convenient in objecto materiali, uterque enim est timor pœnæ æternæ; unde conveniunt in ratione generica timoris servilis, quod est, esse ejusdem substantiæ latè sumptæ atamen essentialiter & specificè differunt, quia habent modum tendendi in objectum essentialiter & specificè diversum. Unde tam differunt inter se, quàm inter se differunt actus quo amatur bonum creatum & summum bonum, & actus quo amatur idem bonum creatum præcisè secundum veram & propriam rationem boni, quam habet.

Quæres, utrum timor diminuatur, vel omninò tollatur, an verò solum perficiatur per charitatem?

R. 1. Timor serviliter servilis tollitur per charitatem: nam actus, quo plis timetur proprium malum & incommodum, quàm offensa Dei, etiam gravis, incompossibilis est cum charitate. Atqui per timorem serviliter servilem plus timetur proprium malum & incommodum, quàm offensa Dei etiam gravis: timor enim serviliter servilis est is, quo quis timet pœnam æternam ut summum malorum omnium, adedque quo quis timet pœnam æternam super ipsum malum culpæ. Ergo, &c.

R. 2. In timore simpliciter servili duo considerari possunt, nempe anxietas, & substantia ipsius timoris. Timor servilis quantum ad anxietatem sensim minuitur, crescente charitate: nam crescente charitate, crescit spes & fiducia in Deum. Crescente autem spe & fiducia in Deum, anxietatem & sollicitudinem, quas causat timor servilis, decrescere, & pacem conscientie generari necesse est. Ergo, &c. Quantum verò ad substantiam timor servilis non minuitur, sed augetur, crescente charitate: nam substantia timoris servilis est fuga privationis beatitudinis, quæ malum nostrum est. Atqui hæc fuga crescit, crescente charitate: crescente enim charitate, crescit spes seu desiderium beatitudinis, ut nostrum bonum est; & crescente spe, seu desiderio beatitudinis, ut nostrum bonum est, non potest non crescere fuga privationis beatitudinis, ut malum nostrum est: nam quò plus amamus bonum aliquod, eò plus averfamur malum oppositum; & quò averfamur malum oppositum; eò plus illud fugimus.

Porrò quamvis timor simpliciter servilis quoad substantiam maneat cum charitate etiam perfecta, in bono tamen sensu potest simpliciter dici, ab ea excludi, quatenus qui perfectam habet charitatem, bonum non operatur amplius ex timore servili, aut certe bonum non operatur amplius ex illo, tanquam ex motivo præcipuo, sed semper operatur bonum vel ex sola charitate, vel saltem ex illa ut motivo principali; cum è contra is, in quo charitas imperfecta est & remissa, sæpè ex timore servili, & quidem motivo præcipuo operetur.

R. 3. Charitas non tollit timorem filialem, sed è contra illum perficit. Nam 1. timor filialis ex charitate oritur, 2. Et ita crescente charitate, non potest non augeri timor filialis. Ratio pro utroque est, quia qui timet aliquem offendere, idè timet, quia illum amat; adedque quò plus illum amat, eò plus timet illum offendere. Hinc imperfecti imperfectum tantum & initialem habent timorem filialem, quia imperfectè tantum & remissè Deum diligunt. Perfecti verò timorem filialem perfectum habent, quia Deum diligunt perfectè & intensissimè: unde fit ut nunquam, vel saltem rarè, ex timore servili ut præcipuo motivo vident offensam Dei.

Quæres, utrum remaneat timor in patria?

R. Timorem aliquem remanere in patria docet Plaltes regius Plal. 18. *Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi*. Et Job cap. 26. *Columnæ cœli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus*; ubi per columnas cœli angelos beatos intelligit, interprete Gregorio Magno, lib. 17. *Moralium*, cap. 17. Unde S. Bernardus epist. 109. inter errores Abailardi computat, timorem non manere in patria. Sed difficultas est, quis sit ille timor, qui in patria manet; circa quod tres sunt sententiæ. Prima docet, in patria, ubi nec pœna, nec culpa esse potest, non ma-

nere timorem servilem, nec filialem, prout est timor divinæ offensæ; & timorem qui est in beatis, esse timorem reverentialem, seu summam quandam reverentiam, quam habent Deo, in quantum ex consideratione infinitæ ipsius excellentiæ, profundissimè demittunt sese in illius præsentia, & quandam velut horrorem de illo concipiunt.

Secunda sententia pariter excludit à patria utrumque timorem, servilem & filialem, & dicit actum illum, quo beati dicuntur timere in cœlo, esse quandam admirationem de excellentia divina, vel potius esse actum, quo ex tali admiratione refugium curiosius investigare opera & consilia Dei.

Tertia sententia tenet timorem filialem, seclusis imperfectionibus, quas adjunctas solet habere in via, manere in beatis, fugam scilicet offensæ Dei, ut secundum se possibilis in natura creata.

ARTICULUS VI.

De proprietatibus spei.

PROPOSITIO I.

Spes theologica est affectivè firmissima.

Prob. 1. ex Apostolo Hebr. c. 6. ubi sic ait: *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam*. 2. Ex Trid. sess. 6. cap. 13. ubi dicitur: *Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent*. 3. Ratione: nam spes, quæ erectio animi contra arduum beatitudinis, adhæret objecto formali secundum meritum ejus. Atqui objectum formale spei, ut est erectio animi contra, &c. meretur adhesionem firmissimam, imò & super omnia firmam: nam objectum illud formale est virtus Dei auxiliatrix infinitè efficax, nobis per promissionem summè fidelem aliquo modo obligata. Ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Spes theologica ex parte sua est certissima tum intrinsecè, tum extrinsecè.

Prob. 1. Est certissima extrinsecè: nam nititur fide divina, qua certissimè proponuntur solidissima motiva sperandi, & assurgendi contra difficultates in prosecutione beatitudinis occurrentes. 2. Est certissima intrinsecè: nam certissimè erigit nos contra difficultates in prosecutione beatitudinis occurrentes; cum nitatur virtute auxiliatrice infinitè efficaci, nobis obligata per promissionem summè fidelem; vel, si vis, cum nitatur auxilium certissimè præparatis, & ad assequendam salutem sufficientissimis. Dixi autem, ex parte sua: nam ex parte nostra defectibilis est, quia Deo nobis auxilianti deesse possumus: unde salus nostra incerta est.

PROPOSITIO III.

Spes theologica necessaria est necessitate mediæ ad salutem adultorum peccatorum.

Prob. Nam illud est necessarium necessitate mediæ ad salutem adulti peccatoris, sine quo adultus peccator justificari non potest. Atqui adultus peccator justificari non potest sine actu spei theologice. Ergo, &c. *Prob. min.* ex Trid. sess. 6. cap. 6. ubi recensentur dispositiones in adultis peccatoribus prærequiritæ, & dicitur: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia, & adjuvi, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum ... & dum peccatores se esse intelligentes, à divina iustitia timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore*.

PROPOSITIO IV.

Spes theologica est etiam necessaria necessitate præ-

præcepti non solum adultis peccatoribus, sed etiam iustis.

*Prob. Et 1. quod necessaria sit necessitate præcepti adultis peccatoribus, manifestè sequitur ex Prop. III. Nam illud nobis præceptum est, quod est in nostra potestate cum auxilio gratiæ, & sine quo justificari non possumus. Atqui actus spei theologicæ est in nostra potestate cum auxilio gratiæ, & sine eo justificari non potest adultus peccator. Ergo, &c. 2. Quod etiam necessaria sit necessitate præcepti iustis adultis, probari potest ex multis Scripturæ locis. Unus sit pro omnibus Psal. 61. ubi dicitur: *Sperate in eo omnis congregatio populi; effundite coram illo corda vestra: Deus adiutor noster in æternum*. Quibus verbis non merum consilium, sed præceptum contineri observat S. Thomas 2. 2. quæst. 22. art. 1. Q. Sed*

Quæres, quandonam præceptum spei obliget per se?

R. Præceptum spei obligat per se. 1. Ubi primum, moraliter loquendo, homo ulum rationis assecutus est, & sufficienter instructus de fine ultimo, de beatitudine, & de mediis quibus beatitudo redditur possibilis, & probabiliter futura: tunc enim tenetur homo sine vituperabili mora secundum æstimationem prudentum beatitudinem suam desiderare efficaciter cum firma in Deum fiducia, sicut tenetur ad finem suum ultimum se convertere. 2. In morali periculo mortis: tunc enim præcipue tenetur homo in Deum confidere, & ab eo beatitudinem suam debito modo expectare. 3. Identidem in decursu vitæ. Quoties verò hoc præceptum urgeat in anno v. g. æstimandum relinquatur iudicio prudentum.

Quæres, quandonam præceptum spei obliget per accidens.

R. Obligare, 1. Cum urget aliqua tentatio, puta tentatio desperationis, nec superari potest sine actu spei. 2. Quando sine actu spei exerceri non possunt actus aliarum virtutum, puta orationis, penitentiae, &c. & tamen illos exercendi instat obligatio.

Quæres, utrum præter præceptum spei affirmativum, detur etiam negativum?

R. affirmativè. Hoc autem præceptum, quod est de non desperando, & præsumptuose sperando, semper pro semper obligat sub gravi: nam desperatio & præsumptio sunt semper iniuriæ Deo, adeoque semper graviter prohibita. Porro levitas materiæ hic locum non habet, neque qui delinquit contra præceptum spei, excusari potest à mortali, nisi per defectum inculpabilem sufficientis advertentiae. Hinc peccat mortaliter, qui non elicit actum spei, cum urget præceptum sperandi, & ad ejus obligationem advertit, vel saltem potest advertere. Item qui plus sperat bonæ terrenæ quam cælestis, ut si eligat bonis huius vitæ frui, bonis cælestibus Deo derelictis. Item qui ad vitandum æternæ damnationis periculum, aut annihilari aut nunquam exstitisse optat ex immoderato damnationis metu, & dissidentia de Dei misericordia vel gratia. Item qui desperat de obtinenda peccatorum venia, vel de obtinendis mediis ad assequendam beatitudinem necessariis. Item qui præsumit de misericordia Dei, sperando peccatorum remissionem sine penitentia, & salutem sine bonis operibus. Item qui præsumit de misericordia Dei, volendo usque ad mortem aut senectutem, in statu peccati permanere. Item qui sperat beatitudinem ut obtinendam solis naturæ viribus. Item qui non veretur peccata multiplicare, ex motivo quod faciliè per veram penitentiam deleri possint innumera peccata: quam unum aut alterum. Ratio est pro omnibus, quia gravem Deo injuriam faciunt, ut per se clarum est.

ARTICULUS VII.

De habitu spei.

PROPOSITIO I.

Datur habitus spei per se infusus & supernaturalis in entitate, qui vera & propria virtus est.

Prob. 1. pars ex Trid. sess. 6. cap. 7. ubi dicitur: In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui infertur, fidem, spem, & charitatem. Quod autem hic Synodus loquatur de habitibus, non de actibus, patet ex eo quod loquatur de fide, spe & charitate, quæ infunduntur homini prius ad justificationem disposito per actus fidei, spei, &c. Ratio autem convenientiæ est, quia congruum est hominem intrinsicè & permanenter habilem reddi, cum justificatur, ad exercendos actus supernaturales fidei, spei & charitatis. Quod aliter fieri non potest, quam per infusionem habituum in entitate supernaturalium, se habentium per modum potentiarum, naturalibus potentiis superadditarum, eaque ad actus divinis ordinis exercendo complementum.

Prob. 2. pars. Quia ille habitus est vera & propria virtus, cujus objectum est optimum, & actus honestissimi. Atqui habitus spei objectum est optimum, & actus honestissimi: nam objectum ejus est beatitudo nostra, ut est summum bonum nostrum; & beatitudo nostra, ut est summum bonum nostrum, est objectum honestissimum, quod scilicet honestissime amare, desiderare, sperare possumus: unde actus quos elicit habitus spei, honestissime sunt in sua ratione specie. Ergo, &c.

Porro hæc ratio valet non solum pro habitu spei formato, seu cum charitate conjuncto, sed etiam pro habitu spei informi seu separato à charitate idem enim est objectum, & iidem sunt actus habitus spei, sive conjunctus sit cum charitate, sive sit ab ea separatus; & actus spei formati ab actibus spei informis in hoc tantum differunt, quod illi imperentur à charitate, hi vero non imperentur.

Dices. Qui habet tantum spem informem, indebito modo sperat: sperat enim beatitudinem ut obtinendam sine meritis. R. Neg. Cum enim peccator sperat beatitudinem, non eam sperat ut obtinendam à se: etiam in præsentis statu peccati; alioquin non speraret, sed præsumeret: sed sperat eam ut obtinendam per meritum, quæ sperat, sicut & sperat veniam peccatorum ut obtinendam per futuram penitentiam.

PROPOSITIO II.

Habitus spei inter habitus theologicos medium perfectionis locum tenet.

Prob. Nam habitus spei minus perfectus est, quam charitas; & magis perfectus est, quam fides. Ergo, &c. Prima pars est planè certa, imò est de fide, & apertè colligitur ex Apostolo 1. Cor. cap. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* Ratio à priori est, quia charitas tendit in Deum propter bonitatem ejus absolutam, spes verò propter bonitatem ejus respectivam. Atqui perfectius est tendere in Deum propter bonitatem ejus absolutam, quam in eum tendere propter bonitatem ejus respectivam. Ergo, &c. Secunda pars non est tam certa, sed tamen sufficientissime probatur sic. Habitus spei attingit Deum ut summum bonum nostrum, eique nos intimè conjungit per amorem, quod fides nec præstat, nec præstare potest per actum suum, quo præcisè, & quidem obscure tantum ostendit nobis finem nostrum ultimum. Ergo, &c.

PROPOSITIO III.

Subiectum proximum habitus spei est voluntas, re-morum verò sunt supposita omnia intellectualia, actuum ejus capacia.

Prob. 1. pars. Nam subiectum proximum habitus est potentia, cujus sunt actus, ad quos inclinat habitus.

At-